Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Clauiger

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

que uobis ueniat in mentem illorum quinq; panum, quos in quinq; hominum millia diſpertiui? quot enim corbes fruſtis refertas abſtuliſtis? D. *Duodecim.* I. *Quid, cum ſeptem panes in duodecim millia diſſecui, quot caniſtrorum fruſta abſtuliſtis?* D. *Septem.* I. *Quî fit, ut non intelligatis, me non de pane loqui, dum iubeo uitari fermentum Phariſæorum & Sadducæorum?*

SENTENTIA.

Dicta Chriſti ſpiritualia, interdum ſecundum carnem interpretantur etiam Chriſtiani. Hominem à carne ad ſpiritum traducere eſt difficile. Diffidentia ex homine quanuis pio, ægrè pellitur.

CLAVIGER. *Matth. 16.*
Marc. 8. Luc. 9.

ARGVMENTVM.

Ieſus diſcipulos ſciſcitatus quæ'nam eſſet hominum de ſe fama, & audita Petri confeſſione, ei claues regni cœli promittit: deinde eius carnalem in cruce deprecanda animum obiurgat: & de hominis abnegatione docet.

Ieſus, Diſcipuli, Petrus.

QVem me dicunt homines eſſe? D. *Alij Ioannem baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam, alij aliquem ex ueteribus uatibus, qui in uitam redie-*

redieris. IES. Vos autem quem me eſſe dicitis? PET. Chriſtum, Dei uiuentis filium. IES. Beatus es Simon Bariona, quoniam iſtud à carne & ſanguine edoctus non es: ſed à patre meo, qui eſt in cœlis. Et ego tibi uiciſsim dico: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, quam ne uniuerſæ quidem Orci uires ſuperabunt. tibiq́; dabo claues regni cœleſtis: ac quicquid obſtrinxeris in terra, erit obſtrictum in cœlis: & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis. Cæterùm etiam atq; etiam cauete, ne cuiquam indicetis me eſſe Chriſtum. Me quidem oportet Hieroſolymam profi ciſci, omneſq́; à ſenioribus & pontificibus & ſcribis contumelias & indignitates perpeſſum, interfici, tertioq́; pòſt die reſurgere. P. [a] Reſpice te Do mine: nunquam iſtud tibi accidet. I. Abi è meo con ſpectu, Satana: impedimento mihi es, quòd diuina non ſapis, ſed humana. Quòd ſi quis me uult ſequi, renunciet ſibiipſi: & me, crucem ferens quotidianã, ſubſequatur. Nam qui uolet uitam ſuam ſeruare, eam perdet. Qui uerò uitam perdiderit mea cauſa, & Euangelij, eam ſeruabit. Quid enim prodeſt, quenquam etiam totum mundum lucrari, ſi uitæ ſuæ iacturam faciat? aut quid habet quiſquam, quod cum uita ſua compenſare poſsit? Etenim quem mei, meorumq́; dictorum in hoc adulterino ſceleratoq́; hominum genere pœnituerit, eius me uiciſ-

[a] Parce t & iſtud m declina.

ſim pœnitebit, cum & meo & paterno ſplendore conſpicuus ueniam, unà cum ſanctis & diuinis Genijs. Nam uenturus ſum, & pro ſuis quenq; factis remuneraturus. Quinetiam hoc uobis confirmo, quoſdam eſſe ex hoc conuentu, qui non ſint obituri mortem, quin me regni diuini præpotentem ueniſſe uiderint.

SENTENTIA.

Chriſti cognitio ab homine non proficiſcitur. Sequendus Chriſtus eſt, isq; omnibus pręferendus.

LVNATICVS. *Matth.17. Marc.9. Luc.9.*

ARGVMENTVM.

Ieſus lunaticum, quem eius diſcipuli ſanare non potuerant, ſanat, ab eius patre exoratus.

Pater lunatici, Ieſus, Dæmon, Quidam alius.

MAgiſter oro te, ut me, meumq; unicum filium, quem tibi hîc adduco, reſpicias. Agitatur neſcio quo furiali ſpiritu muto: credo eum Dianæ incitatione ita miſerè infeſtari. Nam cum ſubitò eum mala illa peſtis corripuit, tum uerò admotis dolorum [a] facibus repentè diuexatur, & cruciatibus ſodicantibus horribiles gemitus & dentium ſtridores

ruciatib.

edens,